

- 4.º Irrisio publica sacrorum, vel mysteriorum religionis catholicae, et etiam sacramentorum, imaginum, vel sacrorum vasuum profanatio vel conculatio.
- 5.º Sacrorum intra vel extra templum turbatio.
- 6.º Injuria opere vel facto illata sacerdoti, vel cultus ministro, in hujus exercitio.
- 7.º Apostasis a religione catholica, quae si ab Hispano cive fiat (1) perpetua relegatione punitur.
- 8.º Exhumatio cadaverum vel eorum mutilatio.
- 9.º Duellum, vel illius provocatio. (2)
- 10.º Adulterium et concubinatus. (3)
- 11. Raptus puellæ minoris 12 annis, vel majoris ipsa invitata.
- 12. Stuprum et seductio minorum ad turpia.
- 13. Matrimonia clandestina, vel inita cum impedimento dirimenti dispensabili, de quibus vide Lect. XCV, fol. 470.
- 14. Matrimonium ejus qui sacros ordines accepit vel castitatis votum emmisit.
- 15. Bigamia. (4)

(1) Si apostasis committatur ab extero apud nos degente erit delictum canonicum sed non mixtum; lex enim de Hispanis loquitur, et pro nobis data est. Poenitens absolvitur a poena civili si Ecclesia eum absolvit.

(2) Homicidium, infanticidium et abortus delicta quoque mixta sunt, nam et in antiquis canonibus et Decretalibus puniuntur. Hodie autem raro in tribunalibus ecclesiasticis persequuntur, nisi ex speciali causa; sed civilibus punienda relinquuntur.

Idem de duello, nisi in casu applicationis censoriarum. Hujus circumstantias et poenas vide cap. 6, tit. 9, lib. 2, penalis legis, art. 349 ad 357 inclusive.

(3) De adulterio ibidem, cap. 1, tit. 10, art. 358 ad 362.

Art. 359. No se impondrá pena por delito de adulterio sino en virtud de la querella del marido agraviado. Este no podrá deducirla sino contra ambos culpables, si uno y otro vivieren.

Art. 362. El marido que tuviere manceba dentro de la casa conyugal ó con escándalo (Nb.) será castigado con la pena de prisión correccional. La manceba será castigada con la de destierro.

Non ergo punitur in soluto vel soluta; nec etiam in conjugato punitur concubinatus sed potius scandalum concubinatus.

(4) Art. 395. «El que contrajere segundo ó ulterior matrimonio sin hallarse legítimamente disuelto el anterior, será castigado con la pena de prisión mayor.

En igual pena incurrirá el que contrajere matrimonio estando ordenado in sacris ó ligado con voto solemne de castidad.»

Sunt etiam alia delicta mixta?

R. Af. Hæc vero computantur inter minora, seu *faltas*. (1)

1.º Blasphemia. 2.º Irrisio sacrorum picturis vel figuris facta. 3.º Irreverentia ad valbas templi, vel irrigio fidelium qui ad illud concurrunt. 4.º Obscenarum imaginum expositio. Hæc omnia pecuniaria mulcta ac reprehensione puniuntur.

Alia forsan reperire fas esset, dicta vero sufficient.

— Actus puniendi hæc delicta canonica civilibus poenis est intrusio potestatis civilis?

R. N. Sede contra est actus valde meritorius, si in auxilium ecclesiasticarum legum dentur, quin Ecclesiæ sua jurisdictio adimatur, quod quidem ita apud nos et hisce legibus fit.

— Inobservantia festorum et alia quæ in Recopilat. legibus vetabantur sunt hodie delicta mixta?

R. N. Non enim prohibentur in hac novissima lege.

#### LECTIO CXVI.

##### DE SPECIALIBUS DELICTIS CLERICORUM.

— Quænam sunt delicta clericorum?

R. Ea quæ ratione officii vel beneficii committuntur, unde speciali poena puniuntur.

— Quot sunt horum delictorum species?

R. 1.º Commissionis, et omissionis.

2.º Communia clericis et laicis, quæ tamen in illis sæveriori poena distinguntur.

3.º Communia omnibus clericis, et propria aliorum dignitates vel beneficia habentium.

4.º Delicta mere civilia quæ civilibus non ecclesiasticis legibus puniuntur, et mere canonica quæ ecclesiasticis tantum sed non civilibus legibus puniuntur.

(1) Libro 3.º de las faltas: título 1.º, art. 481 y 482.

—Quænam sunt delicta clericorum in genere et ex commissione?

R. 1.<sup>o</sup> Acumulatio beneficiorum.

2.<sup>o</sup> Vagantia.

3.<sup>o</sup> Intrusio in aliena jura.

4.<sup>o</sup> Violatio sigilli sacramentalis.

5.<sup>o</sup> Aucupia et assistentia ludis theatricalibus.

6.<sup>o</sup> Ordinatio fraudulenta.

—Quid de accumulatione beneficiorum?

R. Vide quæ supra dicta sunt lect. LXXVII, fol. 376 et seq. Pœna autem imposta est privationis beneficii vel beneficiorum. (V. Ibidem fol. 378).

—Quid de vagantia seu non residentia?

R. V. supra lect. LXVIII, fol. 334, ubi prohibetur ex Sess. XXIII, cap. 16: «nec incertis vagetur sedibus.»

—Quid de ordinatione fraudulenta?

R. V. quæ supra dicta sunt. (Lect. LXVII, fol. 331-333).

—Quid de assistentia choreis, aleis et aliis hujusmodi?

R. Pœnis «arbitrio ordinarii imponendi» puniuntur, ex Sess. XXII, cap. 1.<sup>o</sup>. V. Lect. LXXX, fol. 346, et etiam ex cap. 12. Sess. XXIV: Lect. XXXV, fol. 165.

—Quænam sunt delicta communia, quæ speciali modo puniuntur in clero quam in laico cum in ipso graviora sint.

R. 1.<sup>o</sup> Errorum disseminatio præsertim in prædicatione.

2.<sup>o</sup> Concubinatus Episcopi vel clericu

3.<sup>o</sup> Apostasia ab statu clericali, vel a regulari, illorumque habitu.

4.<sup>o</sup> Bonorum ecclesiasticorum aut piorum usurpatio.

5.<sup>o</sup> Avaritia in sacrorum exercitio.

6.<sup>o</sup> Simonia specialis in provisione beneficiorum.

—Quænam sunt delicta specialia aliquorum clericorum?

R. Ea quæ ratione dignitatis, beneficii aut specialis status aut regulæ committuntur nempe.

1.<sup>o</sup> Delicta Episcoporum ex invassione alieni juris.

2.<sup>o</sup> Ordinatio incompetenter facta.

3.<sup>o</sup> Delictum capituli dantis reverendas sede vacante.

4.<sup>o</sup> Parochi male ministrantis.

5.<sup>o</sup> Parochi aliena jura invadentis.

6.<sup>o</sup> Proprietas in eo qui paupertatis votum habet.

—Quænam sunt delicta clericorum ex ommissione?

R. Alia sunt Episcoporum, alia habentium beneficium vel officium aliquod ecclesiasticum, vel munus aliquod ab Ecclesia acceptum, quæ, cum plura sint, speciali synopsi in lectione sequenti computantur.

—Quænam sunt delicta civilia clericorum?

R. Ea quæ lex civilis quandoque punit, non vero puniuntur canonicis sanctionibus, quin etiam aliqua eorum nec habentur ab illis tamquam delicta.

Potiora autem hæc sunt, quæ quidem continentur in cap. 9, tit. 8, lib. 1, pœnalis codicis.

1.<sup>o</sup> Abusus in prædicatione, si nempe clericus verbo vel scripto civilis potestatis actus tamquam abusivos et religioni contrarios impugnaverit.

2.<sup>o</sup> Negatio remissionis processus ab auctoritate judiciali civili petiti per recursum ab abusu.

3.<sup>o</sup> Abusus in exercitio jurisdictionis, qui quidem coercentur prout alii abusus civilium curialium.

4.<sup>o</sup> Publicatio Bullarum sine Regio prævio placito.

—Hi actus possunt dici delicta mixta?

R. N. Nam aliqua eorum non prohibentur ab Ecclesia, ergo non sunt delicta contra eam: nec sunt mixta quia ad hoc requiritur ut ab utraque potestate coercentur et puniantur.

—Quid de errorum a prædicatoribus dissemination?

R. «Episcopus ei prædicationem interdicat.» (Sess. 5, cap. 2).

—Quod si hæreses prædicaverit?

R. «Contra eum secundum juri dispositionem aut loci consuetudinem procedat.» (Ib.)

—Quid si hæresis disseminator Episcopus fuerit?

R. Vide supra lect. CIV, fol. 504, ex Sess. XXIV, cap. 5, quod incipit. «Causæ criminales graviores contra Episcopos etiam hæresis, quod absit, qua depositione aut privatione dignæ sunt, etc.»

—Quid de concubinatu clericorum?

R. «Quam turpe, ac clericorum nomine, qui se divino cultui addixerunt, sit indignum in impudicitiae sordibus, immundoque concubinatu versari, satis res ipsa, communi fidelium omnium offensione, summoque clericalis militiae dedecore, testatur. Ut igitur ad eam, quam decet continentiam, ac vitae integratatem ministri Ecclesiae revocentur; populusque hinc eos magis discat revereri, quos illos vita honestiores cognoverit, prohibet Sancta Synodus quibuscumque clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant: alioquin poenit, a sacris canonibus, vel statutis Ecclesiarum impositis puniantur.» (Sess. XXV, cap. 14).

—«Quod si a superioribus moniti, ab iis se non abstinerint?»

R. «Tertia parte fructuum, obventionum, ac provenientium beneficiorum suorum quorumcumque, et pensionum, ipso facto sint privati: quae fabricae Ecclesiae, aut alteri pro loco, arbitrio Episcopi applicetur.» (Ib.)

—«Sin vero in delicto eodem cum eadem, vel alia femina perseverantes, secundae monitioni adhuc non paruerint?»

R. «Non tantum fructus omnes ac proventus suorum beneficiorum et pensiones ex ipso ammittant, qui praedictis locis applicentur, sed etiam a beneficiorum ipsorum administratione quoad ordinarius, etiam ut Sedis Apostolica delegatus arbitrabitur, suspendatur.» (Ib.)

—Quid ulterius?

R. Etiam inhabilitate perpetua et excommunicatione majori puniri possunt ut patet ex supradictis Lect. CVII. fol. 523 cum de summarissimo judicio.

—«Clerici vero beneficia Ecclesiastica, aut pensiones non habentes?»

R. «Juxta delicti, et contumaciae perseverantiam, et qualitatem ab ipso Episcopo carceris poena, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis, juxta sacros canones, puniantur.» (Ib.)

—«Episcopi quoque, quod absit, si ab hujusmodi criminis non abstinerint, et a Synodo provinciali admoniti se non emendaverint?»

R. «Ipso facto sint suspensi: et, si perseverent, etiam ad Sanctissimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur; qui pro qualitate culpe, etiam per privationem, si opus erit, in eos animadverterat.»

—Quam specialem poenam incurrit clericus bonorum ecclesiasticorum seu piorum usurpator?

R. V. supra lect. LXXV, fol. 370 ex Sess. XXII, cap. 1.<sup>o</sup>). «Clericos vero,» etc.

—Quid de apostasia et dimissione habitus clericalis seu regularis?

R. Dimissio habitus clericalis privatione officii et beneficii punitur, ex cap. 6, Sess. XIV. V. Lect. LXX, fol. 348. Quoad regulares vero V. Lect. LXI, fol. 290-292, ex cap. 4 et 11. Sess. XXV, de Ref. Regul.

—Quid de speciali delicto avaritiae in sacrorum exercitio?

R. Praesertim continentur in illis verbis: «Atque ut multa paucis comprehendantur, in primis quod ad avaritiam pertinet cuiusvis generis mercedum conditiones, pacta et quidquid pro Missis novis celebrandis datur, necnon importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes, aliaque hujusmodi quae a simoniaca labe, vel certe a turpi quaestu non longe absunt, omnino prohibeant.» (Sess. XXII, de observandis et evitandis in celebrat Missæ).

—Quid de simonia in præsentatione et provissoне beneficiorum?

R. V. supra lect. XXXVI, fol. 167 et quæ ibi dicta sunt ex cap. 14 Sess. XXIV de Ref. in gen.

—Quænam sunt delicta specialia Episcoporum in alieni juris usurpatione vel invasione?

R. Primo in exercitio Pontificalium in aliena diœcesi. (Sess. VI, cap. 5).

2.<sup>o</sup> In ordinatione alieni subditi: (Sess. IX, cap. 23, et XXIII, cap. 8) in quo ordinans et ordinatus suspensionis poena feriuntur.

3.<sup>o</sup> Episcopus titularis qui sine licentia diœcesani pontificalia exercet, cap. 2, Sess. XIV, qui quidem suspensione exercitii pontificalium per annum interdicuntur.

- De his tribus delictis. V. Lect. XIX, fol. 84 et seq.  
—Qua poena puniuntur qui dant reverendas contra jus?  
R. Suspensione temporali ab officio et beneficio per annum, ex cap. 10, Sess. XXIII.  
—Quænam est poena parochi male ministrantis?  
R. Præsertim hæc imponitur matrimonii sacramentum male celebranti, de quo vide Sess. XXIV de Ref. matr. cap. 1. Lect. XCIII, fol. 455 et 457.  
—Quænam parochi scandalosi?  
R. Suspensio, et in pertinaciæ casu privatio ex Sess. XXI, cap. 6. V. Lect. XLIX, fol. 224.  
—Quid de regulari proprietatem habente?  
R. Suspensione vocis activæ et passivæ punitur ex cap. 3, Sess. XXV de Ref. reg.

#### LECTIO CXVII.

##### DE DELICTIS EX OMISSIONE ET NEGLIGENTIA.

- Culpæ omissionis et negligentie sunt tantum defectus (hispanice *faltas*) seu levia delicta?  
R. N. Nam aliquæ earum etiam diris et gravioribus poenis puniuntur. E contra sunt delicta commissionis, quæ poenis non ita gravibus coercentur vel expiantur.  
—Quot inveniuntur omissionis delicta in S. Syn. punita?  
R. Possunt censeri vigintiquatuor præcipua, quæ fere omnia clericorum tantum sunt, quamvis aliqua eorum etiam a laicis personis committi possint.  
Horum autem octo sunt Episcoporum: octo clericorum officium vel beneficium ecclesiasticum habentium: octo alia denique etiam a laicis incurri possunt.  
—Sunt etiam præter hos alii negligentie casus?  
R. Af. Præsertim in minoribus culpis, quæ tantum nullitate aut devolutione puniuntur, de quibus in altera Lectione.

- In præsenti vero expendemus primo delicta, deinde poenas ex ipsius S. Syn. verbis.  
—Quænam sunt ergo omissionis delicta?  
R. Delicta Episcoporum ex omissione sunt.  
1.º Negligentia in prædicando.  
2.º In residendo.  
3.º In omissiendo consecrationem suam ultra tres menses.  
4.º In visitando diœcesim suam.  
5.º In fundatione Seminarii.  
6.º In assistendo provinciali Concilio, vel celebrando diœcesano.  
7.º In admissione Tridentinorum decretorum.  
8.º In regularium vigilantia.  
—Quænam sunt omissiones beneficiorum?  
R. Alia canonicorum, alia parochorum sunt.  
9.º Negligentia canonici in susceptione sacrorum ordinum.  
10. In assistendo canonicis horis.  
11. Negligentia parochi in litterarum studio, ita ut ignarus fiat.  
12. In prædicando.  
13. In monendo patrinos baptismi affinitatem cum baptizato contractam.  
14. In residendo.  
15. In usu clericalium vestium, quod quidem non beneficiatis tantum sed clericis omnibus injungitur.  
16. Negligentia judicis ecclesiastici in appellatione mittenda.  
—Quænam sunt delicta omissionis in his qui ecclesiastica officia seu munia habent?  
R. 17. Superioris regularis in monendo Episcopum de professione a sanctimoniali facienda.  
18. Clericorum minorum ordinum et sacristarum in officio et functionibus suis.  
19. Administratorum hospitalium ecclesiasticorum aut religiosorum in horum administratione et cura.  
20. Notariorum ecclesiasticorum in differenda exhibitione appellationis.

21. Professorum in Seminario docentium.  
22. In festorum dierum celebratione.  
23. In confessione peccatorum annua.  
24. In paschalis communionis præcepto adimplendo.  
Decimarum insolutio inter commissionis delicta plus quam inter omissionis haberi debet. Jejuniorum vero ob servantia plus interni quam externi fori est; (secluso scandali casu), nam hujus negligentiam Dei iudicio relinquit S. Syn. illis verbis «qui vero contemnunt Deum ipsum, ultorem sentient.» (Sess. XXV in continuat).  
— Quid S. Syn. de negligentia Episcopi in prædicando?  
R. «Si quis hoc adimplere præsumperit districtæ sub jaceat ultiōni.» (Sess. V, cap. 2) V. Lect. XVII.  
— Quid de negligentia in residendo?  
R. Si absit sex menses privatur quarta parte fructuum unius anni; si alios sex alia quarta. «Crescente vero contumacia severiori sacrorum canonum censuræ subjiciatur.» (Sess. VI, cap. 1.º, Sess. XXIII, cap. 1.º) V. Lect. XVIII.  
— Quid de Episcopo consecrationem negligentem?  
R. «Si munus consecrationis intra tres menses non suscepint ad fructum perceptorum restitutionem teneatur.»  
— «Si intra totidem menses postea id facere neglexerint ecclesiis ipso jure sint privati.» (Sess. XXIII, cap. 2) Vide Lect. XV, fol. 68.  
— Quid de Episcopo negligentem visitationem diœcesis?  
R. «Eius diœcesis a Metropolitano visitatur.» Sess. VII, cap. 8, Sess. XXIV de Ref. in gen., cap. 3.) V. Lect. IX, fol. 41.  
— Quid de Episcopo negligentem foundationem Seminarii?  
R. «Episcopum Archiepiscopus, Archiepiscopum et superiores Synodus provincialis acriter corripere... studiose curabit.» (Sess. XXIII, cap. 18.) Lect. LXV, fol. 320.  
— Quid de negligentia in assistendo prov. Concilio vel celebranda diœces. Synodo?  
R. «Quod si in his tam Metropolitani, quam Episcopi, suprascripti negligentes fuerint poenas sacris canonibus sancitas incurvant.» (Sess. XXIV, cap. 2.) V. Lect. XI, fol. 48, et XXI, fol. 77.

- Quid de admissione Tridentini?  
R. Episcopi comprovinciales statim Summum Rom. Pont. admonere sub pena divinae indignationis teneantur. (Sess. XXV, cap. 2.) Lect. XI, fol. 50.  
— Quid de negligentia Episcopi in vigilantia regularium?  
R. «Episcoporum negligentiam Concilia provincialia suppleant et coerceant.» (Sess. XXV, cap. 22.)  
— Quid de negligentia canonici in susceptione sacrorum ordinum?  
R. «Vocem in hujusmodi in ecclesiis in capitulo non habeat.» (Sessio XXII, cap. 4.º)  
— Quid de negligentia in officiorum suorum exercitio?  
R. «Cogantque Episcopi eos diebus statutis dictos ordines per se ipsos exercere... sub eisdem et aliis gravioribus poenis.» (Ib. V. Lect. XXXV, fol. 161).  
— Quid de negligentia in assistendo canonicis horis?  
R. «Si personaliter competens sibi servitium, juxta formam ab eisdem Episcopis præscribendam quolibet die statu non impleverint, illius diei distributionem ammittant etc.» (Sess. XXII, cap. 3.) V. Lect. XXXV, fol. 162.  
— Quid de negligentia parochi in litterarum studio?  
R. «Si alias honestæ vitæ sint, coadjutores aut vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint.» (Sess. XXI, cap. 6.) V. Lect. XLIX, fol. 224.  
— Quid de negligentia parochi in prædicando?  
R. «Ubi ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint per censuras ecclesiasticas seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur.» (Sess. V, cap. 2, Sess. XXIV, cap. 4 de Ref. in gen.) V. Lect. XLVI, fol. 209.  
— Quid de parocho negligentem in monendo patrinos de contracto impedimento?  
R. «Si parochi culpa vel negligentia secus factum fuerit arbitrio ordinarii puniatur.» (Sess. XXIV, cap. 2 de Ref. matrim.) Lect. XCV, fol. 466.  
— Quid de parocho residentiam negligentem?  
R. «Eadem omnino etiam quoad culpam, ammissionem fructuum, et poenas de curatis inferioribus et aliis quibus-